

Index

| | |
|-----------------------------------|-----------|
| 1 Augustini sermo X | 2 |
| 2 Augustini sermo XX | 8 |
| 3 Sermo CXLVIII | 12 |
| 4 Augustini sermo CCLXXII | 14 |
| 5 Augustini sermo CCCLXXVI | 16 |
| 6 Allegoria | 17 |
| 7 Facta sermonum | 19 |

1 Augustini sermo X

Tractatus Aurelii Augustini episcopi de iudicio Salomonis inter duas mulieres meretrices

INTER¹ duas mulieres certantes de paruulo filio mirabile iudicium Salomonis praedictum scriptura Regnorum. scriptum est enim:

tunc apparuerunt duae mulieres meretrices regi Salomoni, et steterunt in conspectu eius. et dixit mulier una: animaduerte domine, ego et mulier haec habitabamus in domo una, et peperi in domo. et contigit die tertio postquam peperi, peperit etiam haec mulier filium, et eramus in uno, et non erat quisquam nobiscum praeter ambas nos in domo. et mortuus est filius mulieris huius per noctem, mox dormiuit super eum. et surrexit media nocte, et tulit filium meum ab ascellis meis, et collocauit in sinu suo, et filium suum mortuum in sinu meo. et surrexi mane dare lac filio meo, et ille erat mortuus: consideraui eum mane, et ecce non erat filius meus quem peperi. et dixit mulier illa alia, non, sed filius meus est qui uiuit, filius autem tuus qui mortuus est. et ipsa dixit, non, filius tuus est ille mortuus, et meus filius est qui uiuit. et sic locutae sunt in conspectu regis. et dixit eis rex: tu dicis, hic est filius meus qui uiuit, et filius eius mortuus est; et tu dicis, non, sed filius meus uiuit, et filius eius mortuus est. et ait rex: afferte mihi machaeram. et obtulerunt machaeram in conspectu regis. et dixit rex: diuidite puerum qui uiuit in duas partes, et date dimidium eius huic, et dimidium eius huic. et respondit mulier cuius erat filius qui uiuebat, et dixit ad regem, quoniam commota est uulua eius super filio suo; et dixit: animaduertite, domine, date ei puerum et nolite eum morte afficere. et haec dixit: neque mihi, neque huic sit; diuidite illum. et respondit rex, et dixit ei mulieri quae dixit: date eum illi et morte nolite eum afficere, quia haec est mater eius.

prudentia quidem regis diuino munere concessa in hoc iudicio mirabilis eminet. non enim decuit aut oportuit aliam iudicari esse matrem pueri, nisi eam quae illum iterum quodam modo concepit cum cognouit ablatum, et iterum parturiuit dum a falsa matre defendit, et iterum peperit dum non permisit occidi.

¹Tekst preuzet sa stranica www.thelatinlibrary.com.

uerumtamen sicut solent diuini ueteres libri, non solum rei gestae fidem, sed etiam futurae insinuare mysterium, consideranda est ista scriptura, utrum nobis in duabus istis mulieribus significatum aliquid figuratumque demonstret.

4

et duae quidem feminae synagoga et ecclesia in prima facie considerationis occurunt. synagoga enim Christum filium suum ex Iudaeis secundum carnem natum occidisse conuincitur dormiens, id est praesentis uitae sequendo lucem, manifestacionemque ueritatis in uerbis domini non intellegens; unde etiam scriptum est: **surge qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.**

5

quod uero et duae et solae in una domo habitabant, non absurde illud significat, quod praeter circumcisionem et praeputium, nullum in hoc mundo religionis genus inuentum est, ut in persona unius mulieris unum genus circumcisorum hominum constitutas sub unius dei et cultu et lege comprehensum, in alterius uero mulieris persona uniuersam praeputiorum gentilitatem idolorum cultui deditam intellegas.

6

meretrices autem ambae fuerunt. dicit enim apostolus Iudeos et Graecos omnes sub peccato esse. omnis enim anima, quae deserta aeternitate ueritatis terrenis sordibus delectatur, fornicatur a domino. et de gentili quidem fornicatione ueniens ecclesia manifestum est quod non occiderit Christum.

7

sed quomodo mater Christi etiam ipsa sit, cogitandum est. attende euangelium, et audi dominum dicentem: **qui fecerit uoluntatem patris mei, hic mater mea et frater et soror est.**

8

ubi ergo dormiuit haec, non ut somno praefocaret, sed tamen ut posset ei mortuus supponi et uiuus auferri? an forte hoc est, quod ipsum sacramentum circumcisionis, quod apud Iudeos iam mortuum remanserat quia totum de illo carnaliter sentiebant, hoc ergo sacramentum circumcisionis quod apud Iudeos non uiuebat, qui occiderant Christum qui omnium sacramentorum uita est — quoniam in illo uitaliter intellegitur quod apud Iudeos uisibiliter celebratur — hoc itaque sacramentum circumcisionis tamquam exanime corpus quidam Iudei uolebant persuadere gentilibus qui Christo crediderant, sicut in Actibus apostolorum scriptum est, dicentes non eos esse posse saluos nisi fierent circumcisioni? persuadebant autem hoc ignorantibus legem, tamquam in tenebris noctis filium mortuum supponentes. nec tamen potuit aliquid ualere illa persuasio, nisi cum ecclesiae gentium ex aliqua parte stultitiae somnus obrepserit. quam uidetur quasi dormientem apostolus excitare clamans: **o stulti Galatae, quis uos fascinavit?** et paulo post: **sic stulti estis,** inquit, **ut cum spiritu cooperitis, nunc carne consummemini.** tamquam si diceret: sic stulti estis, ut cum prius habueritis spiritale opus uiuum, hoc amisso postea mortuum accipiatis alienum. ipse quippe apostolus dicit alibi: **spiritus uita est propter iustitiam.** et alibi: **sapere autem secundum carnem, mors est.**

9

his autem atque huiusmodi uocibus illa mater euigilat, et fit ei mane, cum uerbo dei, hoc est cum Christo, qui oriebatur, hoc est loquebatur in Paulo, legis illuminatur obscuritas. hanc enim illuminauit cum ait: **dicite mihi sub lege uolentes esse, legem non audistis? scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et**

10

unum de libera: sed is qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per reprobationem; quae sunt in allegoria. haec enim sunt duo testamenta, unum quidem a monte Sina, in seruitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, quae coniuncta est huic, quae nunc est Ierusalem: seruit enim cum filiis suis. quae autem sursum est Ierusalem, libera est. non ergo mirum, si propter mortua opera, ad eam quae deorsum est, mortuus; et propter spiritualia, uiuus pertinet ad eam quae sursum est Ierusalem. quia et inferi deorsum sunt quo pertinent mortui; superi autem sursum, quo pertinent uiui.

hac illuminatione, tamquam mane facto, intellegit ecclesia gratiam spiritalem, repellens a se carnale opus legis, tamquam mortuum alienum; et sibi uindicans uiuam fidem, quoniam **iustus ex fide uiuit**, quam in patris et filii et spiritus sancti nomine consecuta est, et ideo tamquam triduanum filium certa cognoscit, nec eum sibi eripi patitur.

nunc clamet illa suum esse euangelium, tamquam sibi debitum et per se generatum. nam hoc dicebant gentibus in ipsa contentione, qui ex Iudeis carnaliter sentientes Christianos se dicere audebant. tamquam debitum enim iustitiae suae dicebant uenisse euangelium. sed non erat eorum quod spiritualiter tenere non nouerant. quod ergo Christiani uocabantur, alieno nomine gloriantes tamquam illa de filio quem non ipsa pepererat, etiam contendere audebant, cum ipsis ex operibus legis excluso intellectu spirituali tamquam de corpore operis sui animam eiecerant, et extinguentes prophetiae spiritum uiuum ad carnalia opera sine uita, hoc est, sine intellectu spirituali remanserant. quae gentibus etiam supponere cupiebant, et ab eis tamquam uiuum filium nomen auferre christianum. quos ita refellit apostolus, ut tanto minus ad eos pertinere dicat gratiam christianam, quanto magis eam sibi tamquam debitam uindicant et quasi iure operum suam esse gloriantur. **ei enim qui operatur**, inquit, **merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum**. **ei uero qui non operatur**, credenti autem in eum qui **iustificat impium, deputatur fides ad iustitiam**. et ideo illos etiam ab eorum numero excludit, qui ex Iudeis recte crediderant et uiuam spiritalem gratiam retinebant. quas reliquias dicit populi Iudeorum saluas factas, cum multitudo isset in perditionem. **sic ergo et in hoc tempore**, inquit, **reliquiae per electionem gratiae saluae factae sunt. si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia**, ut illi excludantur a gratia, qui tamquam suum proprium, id est, operibus suis debitum et datum euangeli praemium uindicant, quasi clamante synagoga: meus est filius.

sed mentiebatur. acceperat enim eum et ipsa, sed super eum dormiens, id est, superbe sapiens necauerat. uigilabat autem iam ista mater et intellegebat, non meritis suis, quia meretrix est, sed gratia dei sibi filium esse concessum, opus uidelicet euangelicae fidei quod in sinu cordis nutrire cupiebat. itaque illa gloriam hominum quaerebat in alieno filio; haec affectum dilectionis seruabat in suo.

illud autem inter ambas regale iudicium nihil aliud nos admonet, nisi ut pro ueritate certemus, et expellamus hypocrisim tamquam falsam matrem a spirituali ecclesiae dono tamquam ab alieno uiuo filio, nec patiamur eam dominari concessae aliis gratiae, quae suam custodire non potuit. sed hoc faciamus defendantes atque certantes non usque ad

11

12

13

14

periculum diuisionis. illa enim sententia iudicis, cum iussit parvulum diuidi, non est unitatis praecisio, sed probatio caritatis. Salomonis enim nomen, sicut Latini interpretantur, pacificum est. rex ergo pacificus non dilacerat membra quae unitate atque concordia uitalem spiritum continent. sed minando inuenit matrem ueram, et iudicando separat falsam. si ergo ad huiusmodi tentationem uentum fuerit, ne unitas christiana gratiae diuidatur, docemur dicere: date illi puerum, tantum uiuat. non enim honorem matris sed salutem filii, quae mater uera est quaerit. ubicumque ille fuerit, plus eum possidebit sincera dilectio matris, quam falsae usurpatio.

item video significare istas duas mulieres in una domo, duo genera hominum in una ecclesia: unum eorum in quibus dominatur simulatio, alterum in quibus uera caritas regnat. ut ista duo omnino tamquam duas mulieres intueamur, dilectionem et simulationem. dilectionem quippe simulatio fallaciter imitatur. et ideo istam cauet apostolus, cum dicit: **dilectio sine simulatione**. quamuis enim habitent in una domo quamdiu reticulum illud euangelicum in mari est, simulque bonos et malos pisces donec ad litus perducatur, includit, tamen sua opera singulae faciunt. meretrices autem fuerunt ambae, quia omnes ex cupiditate saeculi conuertuntur ad gratiam dei, nec de prioribus iustitiae meritis uere potest quisquam gloriari. meretrix autem quod fornicatur ipsius est, quod habet filium dei est. omnes enim homines ab uno deo creatore formantur.

15

nec mirandum est quod etiam in peccatis hominum deus bene operatur. nam etiam de scelere Iudei traditoris dominus noster salutem humani generis operatus est. sed hoc interest, quod de cuiusque peccato cum aliquid boni deus fecerit, plerumque id nollet ipse peccator. non solum quia cum peccat, non eo peccat animo, qua prouidentia deus de peccato eius operatur iustitiam — non enim hoc animo Iudas tradidit Christum, quo animo Christus se tradi passus est — sed etiam quod peccati sui euentum, cum in aliquid melius quod ipse nollet peruenire cognoverit, dolet potius quam laetatur. tamquam si uenenum aliquis inimico aegrotanti dare cupiens fallatur in specie medicamenti, et aliud pro alio salutare aliquid offerat, et fiat aeger sanus dei beneficio qui facinus inimici eius conuertere uoluit in salutem. quod tamen cum malus ille cognoverit, de sanitate hominis quae per manus eius gesta est, cruciatur. si autem meretrix conceptum filium libenter habeat, nec libidine nec avaritia turpis mercedis impulsa abortionis poculo de uisceribus eiciat quod conceperat, ne peccanti fecunditas contradicat, cupiditas illa quae defluebat in plurimos ad unum dei donum conuersa, iam non cupiditas sed dilectio nominabitur. meretricis ergo filius recte intellegitur gratia peccataricis.

16

ex ueteri autem turpitudine nouus homo natus indulgentia peccatorum est. dominus ergo, et in ipso numero discipulorum quamuis ex peccatoribus omnes elegerit, priores tamen elegit perseueraturos in dilectione, quam Iudam simulatorem. non est quidem scriptum quo ordine electus sit, sed tamen notum est ante illum electos bonos, et non frustra ultimus numeratur. et post domini ascensionem omnibus qui erant uno in loco spiritus sanctus, secundum pollicitationem domini desuper missus, infusus est. a quibus coepit ecclesia, boni erant et sine simulatione diligebant.

17

postea ergo simulatio coepit operari in ecclesia, et ideo dilectio prior peperit. tri-
18
duo autem maior est fructus dilectionis, ut iam possit agnoscit continentia et iustitia et
expectatione futurorum. simulatio uero etiam si pepererit, id est, etiam si ad exiguum
tempus peccatorum remissione laetata fuerit, tamquam somno saecularis cupiditatis
oppressa, cum de spe caelestium deiecta praemiorum in terrenam requiem grauato
corde reliditur, quasi dormiens effocat indulgentiam quam credendo meruerat. tales
autem homines malunt iustitiae nomine quam ueritate gaudere, bonumque opus alienum
per obscuras fallacias, quasi per noctem uiuum filium, mentiendo ad se transferre
conantur. nec solum aliorum bona opera sibi usurpant, sed aliis etiam obiciunt scelera
sua, quasi mortuum filium supponentes.

quando autem simulationi tantum licebit, ut falso iustitiae nomine, nullo prohiben-
te, glorietur, et spiritale uiuum opus, quod ipsa non genuit, et quod in se aliquando
generat pondere crudelissimi soporis extinxit, ad fallacem iactantiam materni nomi-
nis applicet sibi, et scelera sua bonis atque innocentibus obiciendo supponat. quando
ergo simulatio ita regnabit, nisi cum abundabit iniquitas, id est, tenebrae peccatorum
quasi caeca nocte praeualebunt, et refrigerescet caritas multorum, id est, operis spiritalis
tamquam uiui pueri mater obdormiet?

tamen quia ita refrigerescet caritas ut negligentius ferueat — non enim dictum est,
penitus extinguetur ut omnino non sit — sic dormiuit haec mater ut non occideret
filium, sed tamen fraudibus simulationis dederit locum. sed expergefacta, cum impie-
tatem quam ipsa non fecit ab eis qui faciunt sibi obici uiderit, et spiritali opere gratiae
quam custodiuuit cernit simulationem audere gloriari, se iniquitatis operatricem, simu-
lationem uero matrem boni operis nominari, pacifici iudicis implorat auxilium. nam
Salomon pacificus interpretatur. quem uidemus duas protulisse sententias, primam
tamquam ignorantis, ultimam uero cum manifesta cognitione iudicantis. certamen pie-
tatis prima proponit, dat praemium secunda uictori. in prima probatur mater, in ultima
laetatur. in prima flens mittit semen suum, in secunda cum exultatione reportat
manipulos suos. quod pertinet ad duo tempora ecclesiae quae dominus Christus iudex
pacificus moderatur; unum quod nunc est, alterum quod futurum est. in isto proba-
mur, in illo coronamur. sed nulla maior est in Christi ecclesia probatio caritatis, quam
cum etiam honor ipse qui apud homines uidetur esse contemnitur, ne membra paruu-
li diuidantur et unitatis discidio christiana dilanietur infirmitas. dicit enim apostolus
tamquam matrem se exhibuisse paruulis in quibus bonum opus euangelicum fecerat,
non ipse sed gratia dei cum illo. nam illa meretrice sua non poterat dicere nisi peccata,
donum autem fecunditatis ex deo. tanto autem amplius diligitur gratia donantis, quan-
to supplicium debebatur. et bene de meretrice dominus ait: **cui plurimum dimititur,**
plurimum diligit. dicit ergo apostolus Paulus: **factus sum paruulus in medio uestrum,**
tamquam si nutrix foueat filios suos.

sed cum ad periculum uentum fuerit quo paruulus diuidatur, cum sibi honorem
falsum simulatio uindicat et scindere parata est unitatem, contemnat mater honorem
suum, dum filium uideat integrum uiuumque seruet, ne forte cum debitum uisceribus
21

suis honorem pertinacius uindicat, det locum simulationi per machaeram schismatis infirma membra diuidere. dicat ergo caritas mater: **date illi puerum** siue occasione, siue ueritate Christus annuntietur. in Moyse caritas clamat: **domine, aut ignosce illis, aut dele me de libro tuo.** in pharisaeis autem simulatio loquitur: **si dimiserimus eum, uenient Romani, et tollunt nobis gentem et locum.** non enim ueritatem, sed nomen uolebant habere iustitiae et honorem debitum iustis per fallaciam tenere cupiebant. tamen regnans in eis simulatio cathedram Moysi sedere permissa est, ut dici posset a domino: **quae dicunt facite, sed quae faciunt, facere nolite**, ut honorem falsum habentes, ueritate tamen scripturarum paruulos infirmosque nutritrent.

simulatio enim suum habet scelus, quo nouum hominem quem per gratiam donantis acceperat pondere suae dormitionis extinxit, sed lac fidei quod habet, non est eius. quia etiam necato paruulo, qui renascentem uitam significat, iam in malis moribus simulatio constituta retinet tamen in memoria, tamquam in uberibus, uerba fidei doctrinamque christianam, quae omnibus ad ecclesiam uenientibus traditur. ex isto lacte poterat etiam falsa mater uerae tamen fidei succum sugenti paruulo infundere. inde secura est uera mater, cum etiam a simulatoribus in ecclesia paruulus eius diuinorum scripturarum catholicae fidei lacte nutritur, cum prohibita diuisione unitas salua est, et sententia iudicis ultima, qua ultimum Christi iudicium figuratur, probata caritas, quae propter salutem paruuli et unitatis firmamentum etiam simulationi honorem cessit, ut amorem tenens complexumque uitalis gratiae, sempiterno piae matris praemio perfruatur.

2 Augustini sermo XX

De eo quod scriptum est in psalmo L **cor mundum crea in me deus**

VOCE consona et corde concordi, pro ipso corde nostro dominum deprecantes diximus: **cor mundum crea in me deus, et spiritum rectum innoua in uisceribus meis.** hinc pauca quae dominus dederit, in eius gratia ministrabimus uobis.

psalmus est paenitentis, amissam spem recuperare cupientis, lapsu suo iacentis, et domini manu surgere deprecantis, tamquam qui fuerit idoneus ad se uulnerandum, et non sit ad sanandum. sicut enim ipsam carnem nostram percutere et uulnere cum uolumus possumus, ut autem sanetur medicum quaerimus, nec ita nostra potestate sa-namur ut nostra potestate sauciamur, ita et ad peccandum anima sibi ipsa sufficit, ad sanandum autem quod peccando laeserit dei medicinalem dexteram implorat. unde dicit in alio psalmo: **ego dixi, domine miserere mei. sana animam meam, quoniam peccauit tibi.** ad hoc ait: **ego dixi, domine,** ut constitueret ante oculos uoluntatem arbitriumque peccandi ex anima oriri sibique sufficere ut perdat se, dei autem esse quaerere quod perierat et saluum facere quod se uulnerauerat. **uenit enim filius hominis quaerere et saluum facere quod perierat.** huic precem fundentes dicimus: **cor mundum crea in me deus, et spiritum rectum innoua in uisceribus meis.** dicat anima quae peccauit, ne plus pereat desperando quae se perdidit delinquendo.

ante omnia quippe danda est opera ne peccemus, ne quandam familiaritatem et amicitiam cum peccato tamquam cum serpente faciamus. morsu quippe uenenato perimit peccantem, nec tale aliquid est cum quo facienda est amicitia. sed si forte aut infirmum oppresserit aut incauto subrepserit aut errantem ceperit aut in errore secundo deceperit, non pigeat animam confiteri nec quaerere excusationem sed sui accusationem. nam inde et orauit quodam in psalmo et ait: **pone, domine, custodiam ori meo et ostium continentiae circum labia mea, et non declines cor meum in uerba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis.**

peccatum quisque suadet tibi? ante omnia recusetur. sed persuasum est? non excusetur sed potius accusetur. nam et iste qui dicebat: **cor mundum crea in me deus,** sic coepit: **miserere mei domine secundum magnam misericordiam tuam.** magnam misericordiam magnus peccator implorat. magnam medicinam magnum uulnus desiderat. ibi dicitur: **auerte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. cor mun-**

¹

²

³

⁴

dum crea in me deus. auertit ergo deus faciem suam a peccatis confitentis et se ipsum accusantis deique auxilium et misericordiam deprecantis. auertit enim faciem suam a peccatis eius, non auertendo ab ipso. cui enim dicitur: **auerte faciem tuam a peccatis meis**, ei alibi dicitur: **ne auertas faciem tuam a me**. auertit quia non aduertit, nam si aduertit, euertit. ideo et iudices in conuictos reos sententiam proferentes animaduerte-re dicuntur. hoc ne faciat deus, id est, ne animaduertat, dicimus ei: **auerte faciem tuam a peccatis meis**. ne agnoscat, ignoscit. quomodo autem **nobilem** dicimus, **non** autem **nobilem** dicimus **ignobilem**, sic **noscentem**, **non** autem **noscentem**, **ignoscentem**. tamen si uis ut ille agnoscat, tu agnosce.

impunitum non potest esse peccatum; impunitum non decet, non oportet, non est iustum. ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo. peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum. in tribunal mentis tuae ascende contra te, et reum te constitue ante te. noli te ponere post te, ne deus te ponat ante se. ideo dicit in eodem psalmo, unde facillimam impetrat ueniam: **quoniam iniquitatem meam ego agnosco et peccatum meum ante me est semper**. tamquam dicens: quoniam ante me est, non sit ante te, et quia ego agnosco, tu ignosce. ergo peccatum aut a te punitur, aut a deo; sed a te sine te, a deo autem tecum. te ergo habeat punitorem, ut tu deum inuenias defensorem. dic: ego feci.

5

ego dixi, domine miserere mei. sana animam meam, quoniam peccavi tibi. ego, inquit, **dixi**. ego non quaero ad excusationem peccati, quis de me peccauerit, aut quis me peccare compulerit. non dico: fortuna fecit. non dico: fatum hoc uoluit. postremo non dico: diabolus fecit. nam et ipse diabolus suadendi habet potestatem, postremo terrendi, graues etiam si permisus fuerit molestias inferendi. a domino deprecanda uirtus est, ne inlecebrosa capiant aut ne dura confringant. donet nobis contra inlecebras et minas inimici, duas uirtutes: continere et sustinere, continere libidines ne prospera capiant, sustinere terrores ne aduersa confringant: **et cum scirem**, inquit, **quia nemo esse potest continens, nisi deus det**, huic ergo dicebat: **cor mundum crea in me deus**; et: **uae his qui perdiderunt sustinentiam**.

6

neminem ergo quaeras accusare ne accusatorem inuenias, a quo te non possis defendere. nam et ipse inimicus noster diabolus quando accusatur, gaudet. uult omnino ut accuses illum, uult ut ipse a te ferat qualem uolueris criminacionem, cum tu perdas confessionem. contra huius astutiam exclamat ille: **ego dixi, domine**. sine causa mihi insidiatur inimicus, noui astutias eius, captat linguam meam, uult ut dicam: diabolus fecit. **ego dixi, domine**. his ergo uersutiis seducit animas et a medicina confessionis auertit, aut persuadens eis ut se excusent et quaerant quos accusent; aut persuadens eis, quia iam peccauerunt, desperent et omnino se ad ueniam posse pertinere non arbitrentur; aut persuadens eis quia cito deus totum ignoscit, et si se homo non corrigat.

7

uidete quanta sint aduersus quae uigilare debeat cor paenitentis. ne se excusando accuset alterum, ueniat ei in mentem: **ego dixi, domine, miserere mei. sana animam meam, quoniam peccavi tibi**. ne desperando pereat, ut quoniam peccauit et grauiter peccauit, putet se iam non posse sanari, et donet se libidinibus, trahendum omnibus

8

cupiditatibus, facere quicquid libet quamvis non liceat. et si non facit, ibi non facit ubi homines timet. omnino animo quodam gladiatorio, quoniam uitam desperat, quicquid potest facere ad satiandam cupiditatem et libidinem suam facit, tamquam deuotus ad uictimam. tales desperatione pereunt. contra istos pro his, id est contra tales cogitationes eorum, uigilans scriptura dixit: **in qua die conuersus fuerit iniquus et fecerit iustitiam, omnes iniquitates eius obliuiscar.**

rursus — recreatur anima si his uerbis crediderit a desperationis malo — inuenit aliam foueam, et quae desperatione perire non potuit, spe perit. et quis est qui perit spe? ecce qualem propono, qui dixerit in animo suo: iam deus ueniam promisit omnibus auertentibus se a peccatis, in quacumque die conuersi fuerint, omnes iniquitates eorum obliuiscetur. ergo faciam quicquid uolo. quando uoluero conuertam me delebiturque quod fecero. quid dicimus? quia non quando se conuerterit curat deus paenitentem? dimittit deus omnia praeterita. si negamus, indulgentiae diuinae contradicimus, uerbis denique propheticis obuiamus, diuinis eloquiis repugnamus. non est hoc fidelis dispensatoris.

recurrerit et dicit mihi quisquam: dabis ergo laxamentum peccatis ut faciant homines quicquid uolunt, promissa uenia promissa impunitate cum se conuerterint? laxant habenas ad peccandum; ferentur magno impetu, nullo reuocante, spe desperati. itane uero, uigilaret scriptura aduersus desperantes, et non uigilaret aduersus male sperantes? audi eius uigilias aduersus malam et peruersam spem: **ne tardes conuerti ad dominum, neque differas de die in diem. subito enim ueniet ira eius, et in tempore uindictae disperdet te.** quid est ergo, maligne sperator? si desperes, peris, si speres, peris. ubi tibi locus tutus erit, ut ab utraque fouea te eripias, et constituas te in uia recta, seruiens deo, miserans animam tuam, placens deo? male desperabas, audisti: **in quacumque die conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar.** male sperare coeperas, audisti: **ne tardes conuerti ad dominum, neque differas de die in diem.** undique te circumdedit prouidentia dei misericorditer. quid dicas? promisit mihi deus indulgentiam; quando me conuertero dabit eam. plane dabit quando te conuerteris, sed quare te non conuertis? quoniam quando conuertero, dabit. prorsus quando conuerteris dabit, sed ipsum quando quando est? quare non hodie est? quare non cum audis? quare non cum clamas? quare non cum laudas? clamor meus sit adiutor pro te; clamor tuus testis sit contra te. quare non hodie? quare non modo? cras inquit. indulgentiam tibi deus promisit, cras tu tibi promittis. aut si forte, quomodo mihi legis de libro sancto indulgentiam tibi promissam esse conuerso, sic tibi promissum ut crastinum diem differas in crastinum? nonne hoc primo posuit in terrore medicinali, nonne cum te increparet hoc dixit: **ne differas de die in diem, subito enim uenit ira eius?**

sed uidelicet homo sapiens times ne plus habeas biduum bonae uitae. si erit crastinus dies, sit et hodiernus, et biduum sit. si enim non erit crastinus dies, hodiernus securum te inueniet. si autem erit crastinus, additur hodierno. tu autem cupis habere longam uitam et non times habere malam uitam. diu uis uiuere, et male uiuere. longum malum quaeris, quare non potius longum bonum? quid autem non bonum habere uis?

9

10

11

sola uita erit, quae in te male incurrit? qualem uestem quaeras, si interrogem te, bonam respondes; qualem uillam, bonam; qualem coniugem, bonam; quales filios, bonos; qualem domum, bonam; solam uitam malam. et omnibus bonis tuis praeponis uitam, et inter omnia bona tua solam uis malam. nam illa omnia, quae bona requirebas, uestem domum uillam et cetera, paratus es dare pro uita tua. si tibi quisquam dixerit: aut da mihi omnia bona tua, aut aufero uitam tuam, paratus es omnia bona tua dare et illam etiam malam tenere. quare non uis ut tibi sit bona, pro qua et mala das omnia bona?

ecce ablata est excusatio, adsit accusatio, ne ueniat damnatio.

12

post sermonem.

exhortamur caritatem uestram ut impigre et uigilanter uerbum dei ministrantibus presbiteris uos audire non pigeat. dominus enim deus noster est ipsa ueritas, quam auditis per quemlibet loquatur. et nemo est maior in nobis, nisi qui minor fuerit.

13

praeloquendum ergo nobis fuit ex more. et uos facite ex amore.

14

3 Sermo CXLVIII

**De uerbis Actuum Apostolorum 5, 4: nonne manens tibi
manebat, etc. die dominico octuarum Paschae dictus ad
sanctos martyres uiginti**

Ananiae et Sapphirae non seuerior correptio, mors temporalis.

CUM¹ lectio legeretur de libro qui inscribitur Actus Apostolorum, animaduertistis quid contigerit eis, qui cum uillam uendidissent, subtraxerunt de pretio uillae, et ante pedes Apostolorum, quasi totum pretium, posuerunt. continuo correpti exspirauerunt ambo, uir et uxor eius. nonnullis uidetur nimis seuera ista fuisse correptio, ut propter pecuniam de re sua subtractam, homines morerentur. non hoc Spiritus Sanctus auaritia fecit, sed Spiritus Sanctus mendacium sic puniuit. nam uerba audistis beatissimi Petri, dicentis: **nonne manens tibi manebat, et uenditum in tua erat potestate?** si nolles uendere, quis te cogeret? si uelles offerre dimidium, quis exigeret totum? si enim dimidium offerendum erat, dimidium dicendum erat. pro toto dimidium, hoc est puniendum mendacium. non tamen uideatur, fratres, seuera correptio, mors temporalis. atque utinam hucusque uindicta processerit. quid enim magnum mortalibus contigit quandocumque morituris? sed per illorum temporalem poenam Deus sciri uoluit disciplinam. credendum est autem quod post hanc uitam eis pepercerit Deus; magna est enim eius misericordia. de mortibus autem quae contingunt ex uindicta, ait quodam loco apostolus Paulus, corripiens eos qui male tractabant corpus et sanguinem Christi, et dicens: **propterea in uobis multi infirmi et aegri, et dormiunt sufficientes;** id est, quantum sufficit ad disciplinam imponendam. **multi in uobis dormiunt,** hoc est, moriuntur. flagello enim Domini corripiebantur; aegrotabant, et moriebantur. et subiecit post haec uerba, et ait: **si enim nos ipsos iudicaremus, a Domino non iudicaremur. cum iudicarum autem, a Domino corripimus, ne cum mundo damnemur.** quid si ergo huic uiro et uxori eius tale aliquid contigit? correpti sunt mortis flagello, ne supplicio punirentur aeterno.

Vota Deo reddenda.

hoc tantum attendat Caritas uestra, quia si Deo displicuit detrahere de pecunia quam uouerant Deo, et utique illa pecunia usibus hominum fuerat necessaria; quomodo irascitur Deus, quando uouetur castitas, et non exhibetur; quando uouetur uirginitas, et

¹

²

¹Tekst preuzet sa stranica www.augustinus.it.

non exhibetur? uouetur enim ad usus Dei, et non ad usus hominum. quid est quod dixi: ad usus Dei? quia de sanctis Deus facit sibi domum, facit sibi templum, in quo habitare dignetur; et utique sanctum uult permanere templum suum. potest ergo uirgini sanctimoniali nubenti dici, quod ait Petrus de pecunia: uirginitas tua numquid non manens tibi manebat, et antequam eam uoueres, in tua fuerat potestate? quaecumque autem hoc fecerint, uouerint talia, et non reddiderint; non se putent temporalibus mortibus corripi, sed aeterno igne damnari.

4 Augustini sermo CCLXXII

HOC¹ quod uidetis in altari dei, etiam transacta nocte uidistis: sed quid esset, quid sibi uellet, quam magnae rei sacramentum contineret, nondum audistis.

quod ergo uidetis, panis est et calix; quod uobis etiam oculi uestri renuntiant: quod autem fides uestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi.

breuiter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat: sed fides instructionem desiderat. dicit enim propheta: **nisi credideritis, non intelligetis**². potestis enim modo dicere mihi: praecepisti ut credamus, expone ut intelligamus.

potest enim in animo cuiusquam cogitatio talis suboriri: dominus noster Iesus Christus, nouimus unde acceperit carnem; de uirgine Maria. infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuenilem aetatem perductus est, a Iudeis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die uoluit, in caelum ascendit; illuc leuauit corpus suum; inde est uenaturus ut iudicet uiuos et mortuos; ibi est modo sedens ad dexteram patris: quomodo est panis corpus eius? et calix, uel quod habet calix, quomodo est sanguis eius?

ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud uidetur, aliud intelligitur. quod uidetur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.

corpus ergo Christi si uis intelligere, apostolum audi dicentem fidelibus, **uos autem estis corpus Christi, et membra**³. si ergo uos estis corpus Christi et membra, mysterium uestrum in mensa dominica positum est: mysterium uestrum accipitis.

ad id quod estis, amen respondetis, et respondendo subscribitis. audis enim, corpus Christi; et respondes, amen. esto membrum corporis Christi, ut uerum sit amen.

quare ergo in pane? nihil hic de nostro afferamus, ipsum apostolum identidem audiamus, qui cum de isto sacramento loqueretur, ait, **unus panis, unum corpus multi sumus**⁴: intelligite et gaudete; unitas, ueritas, pietas, caritas. unus panis: quis est iste unus panis? unum corpus multi.

recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis. quando exorcizabamini, quasi molebamini. quando baptizati estis, quasi conspersi estis. quando spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod uidetis, et accipite quod estis. hoc apostolus de pane dixit.

¹Tekst preuzet sa stranica www.augustinus.de.

²Is 7,9

³1 Cor 12,27

⁴1 Cor 10,17

iam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum, satis ostendit. sicut enim ut sit species uisibilis panis, multa grana in unum consperguntur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait scriptura sancta, **erat illis anima una, et cor unum in deum**⁵: sic et de uino. fratres, recolite unde fit uinum. grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur.

10

ita et dominus Christus nos significauit. nos ad se pertinere uoluit, mysterium pacis et unitatis nostrae in sua mensa consecrauit. qui accipit mysterium unitatis, et non tenet uinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

11

Oratio

conuersi ad dominum deum patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest paruitas nostra, maximas atque ueras gratias agamus; precantes toto animo singularem mansuetudinem eius, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur; inimicum quoque a nostris actibus et cogitationibus sua uirtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat, et ad beatitudinem suam perducat: per Iesum Christum filium eius.

12

⁵Act 4,32

5 Augustini sermo CCCLXXVI

Dominica in octavis Paschae

Ianuis clausis intrare signum est Dei omnipotentiae.

AUDIUIT¹ Caritas uestra, cum sanctum Euangelium legeretur, Dominum et Saluatorrem nostrum Iesum Christum post resurrectionem suam clausis ostiis introisse ad discipulos suos. magnum miraculum: sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. ostiis clausis intrauit. respondeo tibi, ut scias quia uera caro fuerat, cicatrices tangendas monstrauit. sed sicut non est, inquis, naturae corporalis per ianuam clausam intrare, sic non est naturae corporalis super fluctus maris ambulare. intrauit per clausa ostia, responde mihi, da mihi soliditatem carnis. ambulauit super aquas maris, da mihi et tu pondus carnis. uis nosse hoc omnipotentiae fuisse? et Petro dedit. qui quod uoluit, dedit; quod proprium erat, sibi seruauit. ille enim uiuens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integritatem matris non uiolauit. ergo, fratres, admirati credamus, credentes obaudiamus, obaudientes speremus promissa, si facimus iussa: quia ut faciamus iussa, ipse adiuuat, a quo speramus promissa.

¹Tekst preuzet sa stranica www.augustinus.it.

6 Allegoria

Heinrich Lausberg, *Handbuch der literarischen Rhetorik. Eine Grundlegung der Literaturwissenschaft*, München: Max Hueber Verlag, 1960.

Figurae sententiae / Figurae per immutationem / allegoria (§§ 895–901)

Immutatio: glasovi, riječi, misli (semantička voluntas djeluje na dvije razine: pravoj (*proprie*) i "zaigranoj")

Alegorija se prema misli odnosi kao metafora prema (pojedinačnoj) riječi: poredbeni odnos (= metafora koja se proteže na čitavu rečenicu, ili šire).

XLIV. Allegoria, quam inversionem interpretantur, aut aliud verbis, aliud sensu ostendit, aut etiam interim contrarium. Prius fit genus plerumque continuatis tralationibus, ut "O navis, referent in mare te novi fluctus: o quid agis? Fortiter occupa portum", totusque ille Horati locus, quo navem pro re publica, fluctus et tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit. XLV. Tale Lucreti "avia Pieridum peragro loca", et Vergili "sed nos inmensum spatiis confecimus aequor, et iam tempus equum fumantia solvere colla". XLVI. Sine tralatione vero in Bucolicis: "certe equidem audieram, qua se subducere colles incipiunt mollique iugum demittere clivo, usque ad aquam et veteris iam fracta cacumina fagi, omnia carminibus vestrum servasse Menalcan". XLVII. Hoc enim loco praeter nomen cetera propriis decisa sunt verbis, verum non pastor Menalcas sed Vergilius est intellegendus. Habet usum talis allegoriae frequenter oratio, sed raro totius, plerumque apertis permixta est. Tota apud Ciceronem talis est: "hoc miror, hoc queror, quemquam hominem ita pessum dare alterum velle ut etiam navem perforet in qua ipse naviget". XLVIII. Illud commixtum frequentissimum: "equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus contionum semper Miloni putavi esse subeundas". Nisi adieciisset "dumtaxat contionum", esset allegoria: nunc eam miscuit. Quo in genere et species ex arcessitis verbis venit et intellectus ex propriis. XLIX. Illud vero longe speciosissimum genus orationis in quo trium permixta est gratia, similitudinis allegoriae tralationis: "Quod fretum, quem euripum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes commutationes fluctus, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus aut nox interposita saepe [et] perturbat omnia et totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris". (Quint. 8,6,44–49)

Uobičajena alegorijska područja:

- Plovidba i država, plovidba i soubina;
- Jelo i prenošenje znanja (ruminare).

Različiti likovi, isti okvir / kontekst / događaji: *sine translatione*.

“Naknadne” alegoreze: publika unosi dodatni smisao. Posebno često kod starih tekstova (izgubili prvotnu publiku). Četverostruki smisao Pisma:

Historia (secundum litteram, proprie);

Allegoria (Krist, Crkva: cum verbis sive rebus mysticis präsentia Christi et Ecclesiae sacramenta signantur)

Tropologia : individualno-asketski smisao: moralis locutio ad institutionem et correctionem morum (Jeruzalem kao anima hominis);

Anagoge : eshatologija (ad superiora ducens locutio, de praemiis futuris et ea quae in caelis est vita futura; Jeruzalem kao civitas Dei, illa caelestis, quae est mater omnium nostrum).

Alegorija tumači tekst; tipologija tumači stvarnost (analogijama — odraz i predložak); posebno važno u shvaćanju povijesti — svaki prethodni događaj odraz je budućega. Typos-antitypos: Adam-Krist, Eva-Crkva, Eva-Marija, David-Krist itd.

7 Facta sermonum

W. S. Teuffels Geschichte der römischen Literatur: Bd. 3, Die Literatur von 96 nach Chr. bis zum Ausgange des Altertums, Leipzig–Berlin: Teubner, 1913, s. 374–76 (§ 440.12)

Pierre de Labriolle, Histoire de la littérature latine chrétienne, Paris: Les belles-lettres, 1947, sv. 2, s. 635–38.

- dijelom diktirano, dijelom zapisano za vrijeme izvedbe
- 363 autentične (uz mnogo naknadno pronađenih): *de scripturis, de tempore, de sanctis, de diversis*
- 32 sermones dubii, sermonum quorundam qui adhuc desiderantur fragimenta,
317 sermones supposititii
- najranija: 391 (br. 214); najkasnija: nakon 428 (br. 345)